

VI.—Quid est enim, Catilina, ⁶quod te jam in hac urbe delectare possit? In qua nemo est ⁷extra istam conjurationem perditorum hominum qui te non metuat, nemo qui non oderit. ⁸Quae nota domesticae turpitudinis non inusta vitae tuae est? ⁹Quod privatarum rerum dedecus non haeret in fama? ¹⁰Quae libido ab oculis, quod facinus a manibus unquam tuis, quod flagitium a toto corpore abfuit? ¹¹Cui tu adolescentulo, quem corruptelarum illecebris irretisses, non aut ad audaciam ferrum aut ad libidinem facem praetulisti? 14. ¹Quid vero? ²Nuper, cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam alio incredibili scelere hoc scelus cumulasti? Quod ego praetermitto et facile ³patior sileri, ne in hac civitate ⁴tanti facinoris immanitas, aut exstitisse aut non vindicata esse videatur. Praetermitto ruinas fortunarum tuarum, ⁵quas omnes impendere tibi proximis Idibus senties: ad illa venio, quae non ad privatam ignominiam vitiorum tuorum, non ad domesticam tuam difficultatem ac turpitudinem, sed ad summam rem publicam atque ⁶ad omnium nostrum vitam salutemque pertinent. 15. Potestne tibi haec lux, Catilina, aut hujus caeli spiritus esse jucundus, ¹cum scias esse horum ²neminem qui nesciat, te ³pridie Kalendas Januarias ⁴Lepido et Tullo Consulibus stetisse in ⁵comitio cum telo? Manum consulum et principum civitatis interficiendorum causa paravisse ⁶sceleri ac furori tuo non mentem aliquam aut timorem tuum, sed fortunam populi Romani obstitisse? Ac jam illa omitto—⁷neque enim sunt aut obscura aut non multa commissa postea:—quotiens tu me ⁸designatum, quotiens consulem interficere voluisti! quot ego tuas ⁹petitiones ¹⁰ita coniectas, ut vitari posse non viderentur, parva quadam declinatione et, ut aiunt, corpore effugi! nihil adsequeris, neque tamen conari ac velle desistis. 16. Quotiens ¹tibi jam extorta est sica ista de manibus! quotiens ²excidit